



—*—
Officia
 —*—
PRO ALIQUIBUS LOCIS.

Festa móbilis.

DOMINICA I. MAIL.
 B. Mariæ Virginis
 divini Pastoris Matris.
Duplex majus.

Omnia ut in Festis B. Mariæ V. [191] præter seq.

IN I. VESPERIS.

**Añæ ut ad Laudes. [333]
 Psalmi et Hymn. [191]**

✠. Dignâre me.

Ad Magnif. Aña. Sicut pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos, et in sinu suo levabit.

Oratio.

DEus, qui univêrsam mundum ineffabili providentia regis, atque gubernas: præsta nobis famulis tuis; ut intercedente beata Maria semper Virgine, quæ vigili custodia nos pascit, ab hostibus defensi, et fructus tui dulcedine satiati, ad cœlestem patriam securi perducamur. Per Dóminum.

Comm. Domin. occur.

AD MATUTINUM.

Invit. Sancta Maria divini Pastoris Mater, * Intercede pro nobis. **Ps.** Venite.

In I. Nocturno.

Aña. Mane surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt, ibi dabo tibi úbera mea.

Aña. Cor suum tradet ad vigilandum dilúculo.

Aña. Trahe me post te: currémus in odorem unguentórum tuórum.

✠. Spécie tua, et pulchritudine tua. ✠. Inténde, prospere procéde, et regna.

De Parábolis Salomónis.

Lectio j. Cap. viij. et ix.



SGO sapiéntia hábito in consílio, et eruditís intêrsam cogitatiónibus. Timor Dómini odit malum: arrogantiam, et supérbiam, et viam pravam, et os bilíngue detéstor. Meum est consílium, et æquitas, mea est prudéntia, mea est fortitúdo. Per me reges regnant, et legum conditores justa decérnunt. Per me principes imperant, et poténtes decérnunt justitiam. Ego diligéntes me

díligo : et qui mane vígilant ad me, invénient me. Mecum sunt divítiae, et glória, opes superbæ, et justítia. Mélior est enim fructus meus auro, et lápide pretiósó, et genímína mea argénto elécto. In viis justítiae ámbulo, in médio semítarum júdicíi, ut ditem diligéntes me, et thesáuros eórum répleam.

R. Sicut vigilávi super eos, ut evéllerem, et demolírem, et dissipárem, et disperderem, et afflígerem : *Sic vigilábo super eos, ut ædíficem, et plantem. **V.** Erravérunt greges mei in cunctis móntibus, et in univérso colle excélsó. — Sic.

Lectio ij.

Dominus possédit me in inítio viárum suárum, ántequam quidquam fáceret a princípío. Ab ætérno ordináta sum, et ex antiquis ántequam terra fieret. Nondum erant abyssi, et ego jam concépta eram : necdum fontes aquárum erúperant, necdum montes gravi mole constítérant : ante colles ego parturiébar : Adhuc terram non fécerat, et flúmina, et cárdines orbis

terrae. Quando præparábat cœlos áderam : quando certa lege, et gyro vallábat abyssos : quando æthera firmábat sursum, et librábat fontes aquárum : quando circúndabat mari términum suum, et legem ponébat aquis, ne transírent fines suos : quando appendébat fundaménta terræ. Cum eo eram cuncta compónens : et delectábar per síngulos dies, ludens coram eo omni témpore ; ludens in orbe terrárum : et delícíæ meæ, esse cum fíliis hóminum. Nunc ergo fílii audíte me : Beáti, qui custódiunt vias meas. Audíte disciplínam, et estóte sapiéntes, et nólite abjícere eam.

R. Anima mea desiderávit te in nocte : * Sed et spírítu meo in præcórdiis meis ; de mane vigilábo ad te. **V.** Ego dórmio, et cor meum vígilat : vox dilécti mei pulsántis. — Sed.

Lectio iij.

Beátus homo qui audit me, et qui vígilat ad fores meas quotidie, et obsérvat ad postes óstii mei. Qui me invénerit, invéniet vitam, et háuriet salutem a Dómino : qui autem in me peccáverit,

lædet ánimam suam. Omnes, qui me odérunt, diligunt mortem. Sapiéntia ædíficávit sibi domum, excídít colúmna septem. Immolávit víctimas suas, miscuit vinum, et propósuit mensam suam. Misit ancíllas suas, ut vocérent ad arcem, et ad mœnia civitátis : Si quis est párvulus, véniat ad me. Et insipiéntibus locúta est : Veníte, comedíte panem meum, et bíbite vinum quod miscui vobis.

R. Sicut vísitat pastor gregem suum in die, * Quando fúerit in médio óvíum suárum dissipátarum. **V.** Sic visitábo oves meas, et liberábo eas de ómnibus locis in die nubis, et calígínis. — Quando. Glória Patri. Quando.

In II. Nocturno.

Añá. Salvábo gregem meum, et non erit ultra in rapínam.

Añá. Congregábit eum, et custódiét eum, sicut pastor gregem suum.

Añá. Læva ejus sub cápite meo, et dextera illius amplexábitur me.

V. Adjuvábít eam Deus vultu suo. **R.** Deus in médio ejus, non commovébitur.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

Lectio iij.

Ex Serm. in cap. xij. Apoc. ante med.



Mplectámur Mariæ vestígia, fratres mei, et devotíssíma supplicatióne beátis illius pédibus provolvámur. Teneámus eam, nec dimittámus, donec benedíxerit nobis : potens est enim. Nempe vellus est médium inter rorem et áream, múlier inter solem et lunam, María inter Christum et Ecclesiám constitúta. Sed forte miráris non tam vellus opértum rore, quam amíctam sole mulierem. Magna síquidem familiáritas, sed mira omníno vicínitas solis, et mulieris. Quómodo enim in tam veheménti fervóre tam frágnilis natúra subsístit? Mérito quídem admiráris Móyses sancte, et curiósus desideras intuéri. Verúntamen solve calceaménta de pédibus tuis, et involúcrá pone carnálium cogitatiónum, si accédere concupíscis.

R. Super omnem faciém terræ dispérsi sunt greges mei et non erat qui requí-

reret : * Ecce ego requiram oves meas, et visitabo eas. *℟.* Custodivit illas ab inimicis, et a seductoribus tutavit illas. — Ecce ego.

Lectio v.

Ejusd. in Assumpt. B. M. V. in fine.

JAM te Mater misericordiae per ipsum sincerissimae tuae mentis affectum, tuis jacens provoluta pedibus luna, id est Ecclesia, mediatricem sibi apud solem justitiae constitutam, devotis supplicationibus interpellat, ut in lumine tuo videat lumen, et solis gratiam tuo mereatur obtentu, quam vere amavit praee omnibus, et ornavit, stolam gloriae induens, et coronam pulchritudinis pones in capite tuo. Plena es gratiarum, plena rore caelesti, innixa super dilectum, delictis affluens. Ciba hodie pauperes tuos Domina, ipsi quoque catelli de micis edant, nec puero Abraham tantum, sed et camelis potum tribuas de superfluenti hydria tua.

℟. Custodivit nos in omni via, per quam ambulavimus : * Et in cunctis populis per quos transivi-

mus. *℟.* Posuerunt me custodem in vineis. — Et in cunctis.

Sermo sancti Augustini Episcopi.

Serm. xvij. de SS. in med.

Lectio vij.

O Beata Maria accipe quascumque exsiles, quascumque meritis tuis impares gratiarum actiones, et cum suscepis vota, culpas nostras orando excusa. Admitte nostras preces intra sacrificium exauditionis, et reporta nobis antidotum reconciliationis. Sit per te excusabile quod per te ingerimus, fiat impetrabile quod fida mente poscimus. Accipe quod offerimus, redona quod rogamus, excusa quod timemus : quia tu es spes unica peccatorum. Per te speramus veniam delictorum, et in te beatissima nostrorum est expectatio praemiorum. Accipe insuper obsequium famulorum tuorum, in hac regione degentium, qui in multis, magnisque periculis a te adjuti, in grati animi argumentum, et in memoriam beneficiorum defensionis, et protectionis, a Pio septimo Pontifice maximo in tui hono-

rem festivitatem hanc sub titulo divini Pastoris Matris consecuti sunt, ut fideles omnes te custodem vigilantem, ac caelestia pabula suppeditantem cognoscant, invocent, et revereantur.

℟. Sub umbra illius, quem desideraveram sedi : * Et fructus ejus dulcis gutturi meo. *℟.* Quid videbis in Sunamite, nisi choros castrorum? — Et. Gloria Patri. Et.

In III. Nocturno.

Añã. Favus distillans labia tua, mel, et lac sub lingua tua.

Añã. Egrederere, et abi post vestigia gregum, et pasce hœdos tuos.

Añã. Rigabo hortum meum plantationum, et inebriabo prati mei fructum.

℟. Elegit eam Deus, et praelégit eam. *℟.* In tabernaculo suo habitare facit eam.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio vij. Cap. xix. c

In illo tempore : Stabat juxta crucem Jesu mater ejus, et soror matris ejus Maria Cleophae, et Maria Magdalene. Et reliqua.

Homilia beati Petri Damiani. Ex Serm. j. in Nativ. B. M. V. in fine.



Irgo Dei Genitrix, cujus pulchritudinem sol, et luna mirantur, subveni Domina clamantibus ad te jugiter : revertere, revertere, Sunamitis, revertere, revertere, ut intueamur te. Tu benedicta, et superbenedicta, revertere primo per naturam. Numquid quia ita deificata, ideo nostrae humanitatis oblita es? Nequaquam Domina : scis in quo discrimine nos reliqueris, ubi jaceant, quantum delinquant servi tui : non enim convenit tantae misericordiae, tantam miseriam oblivisci, quia etsi subtrahit gloria, revocat natura : non enim ita memoraris justitiae Dei solius, ut misericordiam non habeas, neque ita es impassibilis ut non sis compassibilis. Naturam nostram habes, non aliam, et justum est, ut de rore tantae pietatis diffusius infundamur.

℟. Dilictus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia : * Donec aspiet dies, et inclinentur umbrae. *℟.* Ego dilicto meo,

et ad me conversio ejus.
— Donec.

Lectio viij.

REvértere secúndo per poténtiam. Fecit in te magna qui potens est, et data est tibi omnis potéstas in cœlo, et in terra. Nil tibi impossibile, cui possibile est desperátos in spem beatitúdinis releváre. Quómodo enim illa potéstas tuæ poténtiæ póterit obviáre, quæ de carne tua carnis suscépit originem? Accedis enim ante illum áureum humánæ reconciliatiónis altáre non solum rogans, sed ímpetrans, Dómina, non ancílla. Móveat te natúra, poténtia móveat; quia quanto poténtior, tanto misericórdior esse debes. Potestáti enim cedit ad glóriam, injúrias ulcisci nolle, cum possit. Revértere tértio per amórem. Scio Dómina, quia benigníssima es, et amas nos amóre invincibili, quos in te, et per te Fílius tuus, et Deus tuus summa dilectiône diléxit. Quis scit quóties refrígères iram júdicis, cum justitiæ virtus a præséntia deitátis egréditur.

℞. Congregábo oves de terris, et indúcam eas in

terram suam: * Et pascam eas in móntibus Israel: * In rivis, et in cunctis sédibus terræ. ℣. Ego pascam oves meas, et ego eas accubáre fáciam. — Et pascam. Glória Patri. In rivis.

Lectio ix. de Homilia Dominicæ; alias:

Lectio ix.

REvértere quarto per singularitátem. In mánibus tuis sunt thesáuri miseratiónum Dómini, et sola elécta es, cui grátia concéditur. Absit, ut cesset manus tua, cum occasiõem quæras salvándi míseros, et misericórdiam effundéndi; neque enim tua glória minúitur, sed augéitur, cum poeniténtes ad véniam justificáti, ad glóriam assumúntur. Revértere ergo Sunamítis, idest, despécta, cujus ánimam pertransívit gládius, quæ fabri uxor appelláta fuísti. Ad quid? Ut intueámur. Summa glória est post Deum te vidére, adhærere tibi, et in tuæ protectióis munímine demorári. Audi nos, nam et Fílius nihil negans honórat te, qui est Deus benedictus in sæcula sæculórum. Te Deum laudámus. 18.

AD LAUDES,
et per Horas, Añæ.

1. Sonet vox tua * in áuribus meis, vox enim tua dulcis, et fácies tua decóra.

2. Diléctus meus * descéndit in hortum, ut pascátur in hortis, et lília cóligat.

3. Veni dilécte mi, * egrediamur in agrum, commoremur in villis.

4. Fons hortórum, * puteus aquárum vivéntium, quæ fluunt ímpetu de Líbano.

5. In portis nostris * ómnia poma nova, et vétera, dilécte mi, servávi tibi.

Capitul. et Hymn. [206]

℣. Pulchra es, et decóra filia Jerúsalem. ℞. Terríbilis ut castrórum ácies ordináta.

Ad Bened. Añæ. Indica mihi, ubi pascas, ubi cubes in merídie, ne vagári incipiam post greges sodálium tuórum.

Oratio.

Deus, qui univérsum mundum ineffábiliter providéntia regis, atque gubérnas: præsta nobis fámulis tuis; ut intercedénte beáta María semper Vírgine, quæ vígilia custódia nos pascit, ab hóstibus defénsi, et fructus tui dul-

cédine satiáti, ad cœlestem pátriam secúri perducámur. Per Dóminum *Commém. Dominicæ occurrentis.*

AD HORAS.

Añæ sumuntur ex Laud. ut supra. Capitula et ℞. ut in Festis B. M. V. [206]

IN II. VESPERIS.

Añæ de Laud. ut supra. Reliqua ut in Festis B. Mariæ V. [191] præter seq.

℣. Per te salutem hauriámus Virgo María. ℞. Ex caritáte et passióne Christi Fílii tui.

Ad Magnif. Añæ. Cum vidisset ergo Jesus matrem, et discipulum stantem, quem diligébat, dicit matri suæ: Múlier, ecce fílius tuus. Deínde dicit discipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accépit eam discipulus in sua.

Commém. Dominicæ.

FERIA SEXTA

post Oct. SS. Corp. Christi.

Aliud Officium

Sacratissimi Cordis
Jesu.

Duplex j. classis.

Vesperæ dicuntur de die Octava SS. Corp. Christi sine ulla Commémorat. Sed si Officium SS. Cordis transferatur, tunc

IN I. VESPERIS.

Antiphonæ.

1. De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.

Ps. Dixit Dominus. 141.

2. Misericors Dominus redemptionem misit populo suo.

Ps. Confitebor... in consilio. 142.

3. Apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio.

Ps. De profundis. 153.

5. Super misericordia tua Domine confitebor tibi in toto corde meo.

Ps. Confitebor... quoniam. 159.

5. Suavis Dominus universis, et misericordie ejus super omnia opera ejus.

Ps. Exaltabo te. 164.

Capitulum. Cant. iij.

Gredimini, et videte filie Sion regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis ejus, et in die lætitiæ cordis ejus.

Hymnus.

Quicumque certum queritis
Rebus levamen asperis :
Seu culpa mordet anxia,
Seu pœna vos premit co-
mes.

Jesu, qui, ut agnus innocens

Sese immolandum tradidit,

Ad Cor reclusum vulnere,
Ad mite Cor accedite.

Auditis, ut suavissimis
Invitet omnes vocibus?

Venite, quos gravat labor,
Premittique pondus criminum.

Quid Corde Jesu mitius?
Jesum cruci qui affixerant

Excusat, et Patrem rogat,
Ne perdat ultor impios.

O Cor, voluptas Cœlitum,
Cor fida spes mortalium,

En hisce tracti vocibus
At te venimus supplices.

Tu nostra terge vulnera
Ex te fluente sanguine :

Tu da novum cor omnibus,

Qui te gementes invocant.
Amen.

V. Misericors et misericors Dominus. **R.** Longanimis et multum misericors.

Ad Magnif. Añã. Misericordia Domini a progenie in progenies timentibus eum, allelúia.

Oratio.

FAC nos, Domine Jesu, sanctissimi Cordis tui virtutibus indui, et affectibus inflammari : ut et

imagini bonitatis tuæ conformes, et tuæ redemptionis mereamur esse participes. Qui vivis et regnas.

Ad Completor. et alias Horas, in fine omnium Hymnorum dicitur :

Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre et almo Spiritu

In sempiterna sæcula.

Amen.

AD MATUTINUM.

Invit. Cor Jesu, caritatis victimam, * Venite adoremus. **Ps.** Venite. 2.

Hymn. Quicumque. [334]

In I. Nocturno.

Añã. Factum est cor meum tamquam cera liquescens in medio ventris mei.

Ps. Deus Deus meus respice. 36.

Añã. Speravit cor meum in Domino, et adjutus sum, et resloruit caro mea.

Ps. Ad te Domine clamabo. 49.

Añã. Convertisti planctum meum in gaudium mihi, et circumdedisti me lætitia.

Ps. Exaltabo te Domine. 50.

V. Ego autem in Domino gaudebo. **R.** Et exultabo in Deo Jesu meo.

De Epistola beati Pauli Apostoli ad Ephesios.

Lectio j.**Cap. j.**

Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi,

qui benedixit nos in omni benedictione spiritali in cœlestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in caritate. Qui predestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo. In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum secundum divitiæ gratiæ ejus. Propterea non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis : ut Deus, Domini nostri Jesu Christi Pater gloriæ, det vobis spiritum sapientiæ et revelationis, in agnitione ejus : illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis quæ sunt divitiæ gloriæ hereditatis ejus in sanctis.

R. Gratificávit nos Deus in dilécto Filio suo : * In quo habémus redemptiónem per ságuinem ejus, remissionem peccatórum. **V.** Det nobis Dóminus illuminátos óculos cordis nostri, in agnitióne ejus. — In quo.

Lectio Ij. **Cap. ij.**

DEus autem, qui dives est in misericórdia, propter nímiã caritátem suã qua diléxit nos, et cum essémus mórtui peccátis, convivicávit nos in Christo (cujus grátia estis salváti), et conresuscitávit, et consedére fecit in coeléstibus in Christo Jesu : ut osténderet in sæculis superveniéntibus abundántes divítias grátie suæ in bonitáte super nos in Christo Jesu. Ipse enim est pax nostra, qui fecit útraque unum, et médium parietem macerriæ solvens, inimicitias in carne sua : legem mandatórum decretis évacuans, ut duos condat in semetípso in unum novum hóminem, fáciens pacem, et reconcíliet ambos in uno córpore, Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetípso. Et véniens evangelizávit pa-

cem vobis, qui longe fuístis, et pacem iis, qui prope. Quóniam per ipsum habémus accessum ambo in uno Spíritu ad Patrem.

R. Propter nímiã caritátem suã, qua diléxit nos Deus, osténdit abundántes divítias grátie suæ : * In bonitáte super nos in Christo Jesu. **V.** Ipse enim est pax nostra, per quem habémus accessum ad Patrem. — In bonitáte.

Lectio Iij. **Cap. iij. c**

Hujus rei grátia flecto gènuã meã ad Patrem Dómini nostri Jesu Christi, ex quo omnis patérnitas in coelis, et in terra nomináture, ut det vobis secúndum divítias glóriæ suæ, virtúte corroborári per Spíritum ejus in interiorem hóminem, Christum habitáre per fidem in córdibus vestris : in caritáte radicáti, et fundáti, ut possitis comprehendere cum ómnibus sanctis, quæ sit latitúdo, et longitúdo, et sublímities, et profúndum : scire etiã supereminéntem sciéntiæ caritátem Christi, ut impleámini in omnem plenitúdinem Dei. Ei autem, qui potens est

omnia fácere superabundánter quam pétimus, aut intelligimus, secúndum virtútem, quæ operátur in nobis : ipsi glória in Ecclesiã, et in Christo Jesu in omnes generatiónes sæculi sæculórum. Amen.

R. Det nobis Dóminus virtúte corroborári per Spíritum ejus in interiorem hóminem : * Christum habitáre per fidem in córdibus nostris. **V.** Ut in caritáte radicáti, et fundáti comprehendámus supereminéntem sciéntiæ caritátem Christi. — Christum. **G**lória. Christum.

In II. Nocturno.

Añã. Gustáte et vidéte, quóniam suávis est Dóminus : beátus vir, qui sperat in eo.

Ps. Benedicam. 54.

Añã. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam, inténde, prospere procéde, et regna.

Ps. Eructávit cor. 70.

Añã. Judicábit pópulum in justítia, et páuperes in iudicio.

Ps. Deus iudicium. 94.

V. Mihi autem adhærere Deo bonum est. **R.** Pónere in Dómino Deo spem meã.

Lectiones. Quia semel.

ut in Breviario, 455. cum RR. sequentibus.

R. iv. Introdúxit me Rex in cellária sua, ordinávit in me caritátem. * Fulcíte me flóribus, stipáte me malis, quia amóre lángueo. **V.** Sub umbra illius quem desideráveram sedi : et fructus ejus dulcis gúturi meo. — Fulcíte.

R. v. Hauriétis aquas in gáudio de fóntibus Salvatóris, et dicétis in die illa : * Confitémini Dómino, et invocáte nomen ejus. **V.** Ecce Deus Salvátor meus, fiduciáliter agam, et non timébo. — Confitémini.

R. vj. Auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor cárneum : * Et spíritum meum ponam in médio vestri. **V.** Effúndam super vos aquam vivam, et mundabimini ab ómnibus inquinaméntis vestris. — Et. **G**lória Patri. Et.

In III. Nocturno.

Añã. Misericórdiam et veritátem diligit Deus : grátiam et glóriã dabit Dóminus.

Ps. Quam dilécta. 110.

Añã. Dóminus dabit benignitátem : loquétur pacem in plebem suã.

Ps. Benedixísti Dñe. 111.

Añā. Suāvis et mitis es Dómine, et multæ misericórdiæ ómnibus invocántibus te.

Ps. Inclína Dómine. 112.

V. Misericórdia Dómini ab ætérno. **R.** Et usque in ætérnum super tímētes eum.

Lectio sancti Evangélii secundum Joánnem.

Lectio vij. Cap. xv.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos. Manéte in dilectiōne mea. Et reliqua.

Homília sancti Bernárdi Abbátis.

Serm. xiiij. in Cœna Dñi.

DE dilectiōne Dei, quo plus bibo plus sitio, et ea saturári non possum nec ego, nec áliquis diligens Christum. Ipsa quo plus éditur, plus famem exáuet; et quanto plus ipsa bíbitur, plus sitim inácuít : ipsam, quam inhábitat, mentem sic inébríat, ut nihil jam quærat, vel dilígat, nec dilígere possit, nec váleat, præter eum, qui sic mundum diléxit, ut Filium suum unigénitum daret; ut omnis qui credit, et dilígit illum, non moriátur, sed vivat cum eo. Ad hanc

nos dilectiōnem auctor ipse inæstimábilis caritátis invítat : in ea nos manére precátur, et rogat. Ait enim : Manéte in dilectiōne mea; ac si apérte dicat : Quia ego ea dilectiōne, qua me Pater dilígit, vos dilígo; eadē dilectiōne me vos dilígere rogo. Et quóniam dilectio vestra me usque ad mortem perdúxit; sed neque mors crudelíssima ipsa a vestra caritate me sejúnxit, me dilígite, et in mea dilectiōne manéte.

R. Sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos : * Manéte in dilectiōne mea.

V. Si præcépta mea servavéritis, manébitis in dilectiōne mea, sicut et ego Patris mei præcépta servávi, et máneo in ejus dilectiōne. — Manéte.

Lectio viij.

SED quáliter in ejus dilectiōne manére debeámus, séquitur et dicit : Si præcépta mea servavéritis, manébitis in mea dilectiōne, sicut et ego Patris mei præcépta servávi, et máneo in ejus dilectiōne. Hæc ópera, fratres mei, sunt causa dilectiōnis Christi : unusquisque vestrum vídeat. si

Dóminum Jesum dilígere débeat. Quid pro nobis fácere débuit, et non fecit? Quómodo nos plus amáre pótuit, et non amávit? Majórem in nobis dilectiōnem non pótuit habére, quam hábuit : quia animam suam in morte pro nobis pósuit. Ipsa beáta Véritas testis est, quod majórem caritatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Non ergo nobis viléscat, fratres mei, ipsa diléctio Christi, qui diléxit nos, et lavit nos a peccátis nostris in ságuine suo : non vobis viléscat, fratres mei, non vobis amaréscat ipse amor Christi, ipsa caritas Christi.

R. Christus pro nobis animam suam pósuit : * Et lavit nos a peccátis nostris in ságuine suo. **V.** Majórem caritatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. — Et lavit. Glória Patri. Et lavit.

Lectio ix.

AMor Christi totus dulcis, totus delectábilis : suum possessórem non crúciat, sed deléctat; non enérvat, sed róborat; cuncta terréna subsánnat; so-

la cœléstia captat; Christi mandáta requírit, et ea pro víribus observáre conténdit; et de observatiōne præceptórum gressu felici provéhitur ad perceptiōnem gaudiórum, ut cum illo jam perfécte gaudeat, pro cujus desidério in hac valle lacrymárum pósitus tam amáre frequenter suspirábat. Unde recte séquitur : Hæc locútus sum vobis, ut gáudium meum in vobis sit, et gáudium vestrum impleátur; ac si diceret : Ideo præcipio vobis, et móneo vos mea observáre præcépta, et manére in dilectiōne mea, ut gáudium meum in vobis sit, et gáudium vestrum de me adimpleátur : ut hábeam de vobis per mútuam caritatem, quam mihi impénditis, unde possim gaudére : et illud gáudium, quod in retributiōne præmiórum elécti sunt perceptúri, percípere et possidére possitis.

Te Deum. 18.

AD LAUDES,
et per Horas, Añā.

1. Discite a me * quia mitis sum, et húmilis corde, et inveniétis réquiem animábus vestris.

2. Suávis est Dóminus, *
et in ætérnum misericór-
dia ejus.

3. Sitívit in te * ánima
mea; quia mélior est mise-
ricórdia tua super vitas.

4. Sancti et húmiles corde
benedícite Dómino : lau-
dáte et superexaltáte eum
in sæcula.

5. Beneplácitum est *
Dómino in pópulo suo : et
exaltábit mansuétos in
salútem.

Capitulum. **Cant. iij.**

EGredimini, et vidéte
fíliae Sion regem Sa-
lomónem in diadémate,
quo coronávit illum mater
sua in die desponsatiónis
ejus, et in die lætítiæ cor-
dis ejus.

Hymnus.

Summi Paréntis Fílio,
Patri futúri sæculi,
Pacis beátæ Príncipi,
Promámus ore cánticum.
Qui vulnerátus pectore
Amóris ictum pertulit,
Amóris urens ignibus
Ipsam qui amántem dili-
gunt.

Jesu dolóris víctima,
Quis te innocéntem cóm-
pult,

Dura ut apértum láncea
Latus patéret vúlneri?

O fons amóris ínclýte!

O vena aquárum límpida!

O flamma adúrens crí-
mina!

O Cordis ardens caritas!

In Corde, Jesu, júgiter
Recónde nos, ut úberi
Dono fruámur grátiae,

Coelíque tandem præmiis.

Jesu, tibi sit glória,

Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, et almo Spi-
ritu,

In sempitérna sæcula.

Amen.

✠ Misericórdia Dómini
ab ætérno. ✠. Et usque in
ætérnum super tímētes
eum.

Ad Bened. Aña. Per ví-
scera misericórdiae suæ
visitávit nos Deus, et fe-
cit redemptiόνem pópuli
sui, allelúia.

Oratio.

FAC nos, Dómine Jesu,
sanctissimi Cordis tui
virtútibus índui, et affé-
ctibus inflammári : ut et
imágni bonitátis tuæ
confórmes, et tuæ red-
emptiόνis mereámur esse
partícipes. Qui vivis.

Ad Primam in ✠. br. ✠.
Per quem salváti et libe-
ráti sumus.

AD TERTIAM.

Capit. ut ad Laudes.

✠. br. Misericórdia tua
Dómine, * Plena est terra.
Misericórdia. ✠. Justifica-

tiónes tuas doce me. Ple-
na. Glória. Misericórdia.

✠. Secúndum misericór-
diam tuam vivífica me
Dómine. ✠. Et custódiám
testimónia oris tui.

AD SEXTAM.

Capitulum. **Cant. viij.**

Pone me ut signácu-
lum super cor tuum,
ut signáculum super brá-
chium tuum : quia fortis
est ut mors diléctio.

✠. br. Secúndum miseri-
córdiam tuam, * Vivífica
me Dómine. Secúndum.

✠. Et custódiám testimó-
nia oris tui. Vivífica. Ió-
ria Patri. Secúndum.

✠. Fac cum servo tuo
secúndum misericórdiam
tuam. ✠. Et justificatiónes
tuas doce me.

AD NONAM.

Capitulum. **Ps. lxxvij.**

Impropérium exspectá-
vit cor meum, et mi-
sériam. Et sustínui qui si-
mul contristarétur, et non
fuit; et qui consolarétur,
et non invéni.

✠. br. Fac cum servo tuo,
* Secúndum misericór-
diam tuam. Fac. ✠. Et ju-
stificatiónes tuas doce
me. Secúndum. Glória Pa-
tri. Fac.

✠. Véniat super me mi-
sericórdia tua Dómine.

✠. Salutáre tuum secún-
dum elóquium tuum.

IN II. VESPERIS.

**Omnia ut in primis [334]
præter sequentia.**

✠. Misericórdia Dómini
a progénie in progénies.
✠. Timéntibus eum.

Ad Magnif. Aña. Suscé-
pit nos Dóminus in sinum
et Cor suum, recordátus
misericórdiae suæ, allelúia.

DOMINICA

ANTE FESTUM NATIVIT.

S. JOANNIS BAPTISTÆ.

**B. Mariæ Virginis
sub titulo**

de Perpetuo Succursu.

Duplex majus.

**Omnia ut in Festis B. Ma-
riæ Virg. per Annum [191]
præter sequentia.**

IN I. VESPERIS.

**Añæ et Capit. de Laudi-
bus. [346]**

Hymn. Ave maris. [193]

✠. Facta es nobis Dómi-
na in refúgium. ✠. Adjú-
trix in opportunitátibus,
in tribulatióne.

Ad Magnif. Aña. Sancta
María, succúrre miseris,
juva pusillánimes, réfove
flébiles, ora pro pópulo,
intérvieni pro clero, inter-
céde pro devóto femineo
sexu : séntiant omnes
tuum juvámē, quicúm-

que celebrant tuam sanctam festivitatem.

Oratio.

OMnipotens et misericors Deus, qui dedisti nobis beatissimæ Genitricis tuæ Imāginem de Perpétuo Succursu speciali titulo venerari: concede propitius, ita nos inter omnes viæ et vitæ hujus varietates continua ejusdem Immaculatæ sempérque Virginis Mariæ protectione muniri, ut æternæ tuæ redemptionis præmia consequi mereamur. Qui vivis.

Commem. Dominicae occurrentis.

AD MATUTINUM.

Invitat. Sancta et Immaculata Maria Dei Genitrix Virgo: * Assidue pro nobis precare Jesum Filium tuum. **Ps. Venite. 2.**

Inj. Nocturno, Lectiones. Ego sapientia. [197]

In II. Nocturno.

Sermo sancti Joannis Chrysostomi.

Lectio iv. Apud Metaph.



El Filius non divitem, aut locupletem aliquam feminam sibi matrem elegit, sed beatam Virginem illam, cujus anima virtutibus ornata erat. Cum enim

beata Maria supra omnem humanam naturam castitatem servaret, propterea Christum Dominum in ventre concepit. Ad hanc igitur sanctissimam Virginem et Dei Matrem accurrentes, ejus patrocinii utilitatem assequamur. Itaque quæcumque estis virgines, ad Matrem Domini confugite. Illa enim pulcherrimam, pretiosissimam, et incorruptibilem possessionem patrocinio suo vobis conservabit. Magnum revera miraculum, fratres dilectissimi, fuit beata semper Virgo Maria. Quid namque illa majus aut illustrius ullo unquam tempore inventum est, seu aliquando inveniri poterit? Hæc sola cælum ac terram amplitudine superavit.

R. Sicut cedrus exaltata sum in Libano, et sicut cypressus in monte Sion: quasi myrrha electa, * Dedi suavitatem odoris. **V.** Et sicut cinnamomum et balsamum aromatizans. — Dedi.

Lectio v.

Quidnam illa sanctius? Non Prophætæ, non Apóstoli, non Mátyres, non Patriarchæ, non An-

geli, non Throni, non Dominationes, non Séraphim, non Chérubim, non denique aliud quidpiam inter creatas res visibiles aut invisibiles, majus aut excellentius inveniri potest. Eadem ancilla Dei est et mater: eadem virgo et genitrix. Hæc ejus mater est, qui a Patre ante omnem principium genitus fuit, quem Angeli et homines agnoscunt Dominum rerum omnium. Visne cognoscere quanto Virgo hæc præstantior sit cælestibus Potentiis? Illæ cum timore et tremore assistunt, faciem velantes suam: hæc humanum genus illi offert, quem genuit. Per hanc et peccatorum veniam consequimur. Ave igitur mater, cælum, puella, virgo, thronus, Ecclesiæ nostræ decus, glória et firmamentum, assidue pro nobis precare Jesum Filium tuum et Dominum nostrum: ut per te misericordiam invenire in die iudicii, et quæ repõsita sunt iis qui diligunt Deum, bona consequi possimus, grátia et benignitate Domini nostri Jesu Christi: cum quo Patri simul et

sancto Spiritui glória, et honor, et impérium, nunc et semper in sæcula sæculorum. Amen.

R. Quæ est ista quæ processit sicut sol, et formosa tamquam Jerúsalem? * Viderunt eam filiae Sion, et beatam dixerunt, et reginæ laudaverunt eam. **V.** Et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, et lilia convallium. — Viderunt.

Lectio vij.

Ex publicis monumentis.

UT vero nihil gratiarum deesset in hac dulcissima hominum advocata Maria, divino consilio factum merito censetur, ut ipsius etiam imāgines magno essent in honore, et prodigiis miraculisque claréscerent. Inter quas celebrem obtinet locum vetus illa Deiparæ imāgo, quæ de Perpétuo Succursu nuncupatur. Hæc (ut antiqua monumenta referunt) labente sæculo decimo quinto e Creta insula Romam delata, atque in ecclesiā sancti Matthæi Apóstoli et Evangelistæ vico Merulana, Alexandro sexto summo Pontifice collocata, ibi per tria sæcula a

Christifidélibus veneratiónem obtínuit. Quum autem ob téporum vicissitúdines templum sancti Matthæi dirutum fuisset, delítuit exínde præclára effigies, donec non sine speciáli Dei providéntia repérta, et ab obliuione, in qua jacébat vindicáta, jubénte Pio nono Pontífice máximo ibídem in Exquiliis in propínqua ecclésia sanctíssimi Redemptóris et in honórem sancti Alphónsi Mariæ de Ligório dicáta, ingénti pópuli concúrsu ac solénni pompa fuit repóstita, publicóque cúltoi réddita anno millésimo octingentésimo sexagésimo sexto. Ex eo témpore tanta celebritáte et prodigiórum cópia incláruit, ut idem cultus paucórum annórum spátio late in univérsum cristiánum orbem se diffúderit. Quibus permótu idem summus Póntifex Pius nonus, ad augéndum erga immaculátam cœli terræque Reginam devotiónem, Congregatióni sanctíssimi Redemptóris Missam et Offícium próprium in honórem beátæ Virginis Mariæ de Perpetuo Suc-

cúrsu benigne concessit : assignáta huic festivitáti Domínica ante diem octávum Kaléndas Júlii, quo die veneránda imágo a collégio canonicórum sacrosáncæ basilicæ Vaticanæ áurea coróna solénni ritu fuit decoráta.

℞. Ornátam. [201]

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vij. Cap. xix. e

IN illo témpore : Stabant juxta crucem Jesu mater ejus, et soror matris ejus María Cléophæ, et María Magdaléne. Et reliqua.

Homilia sancti Bernárdi Abbátis.

Ex Tract. de Pass. Dñi.



icit matri suæ : Múlier, ecce filius tuus; ac si diceret : Tu me filio corporáliter priváris, unde tibi únicum præ cunctis diléctum in filium do, cujus præsentia ínterim dum absum consoléris. Ad discipulum autem : Ecce mater tua; quasi diceret : Tu vero me patre spoliáris, unde hanc matrem mihi caríssimam tibi in matrem do; conserváte jura mútuæ caritátis ad ínvicem, tu

istum filium, tu istam matrem habéndo. O quam muníficus factus es in nuptiis tuis, rex et sponse, bone Jesu! Quam large quæ habuísti, ómnia tradidísti! Ecce ipsis crucifixóribus tuis oratiónis afféctum, latróni paradísium, matri filium, filio matrem, mórtuis vitam, mánibus Patris ánimam tuam, toti mundo signa poténtiæ tuæ contulisti! Sed movet me, quod cum dixisset : Múlier, ecce filius; subjúnxit : Ecce mater tua; cum útique, etiámsi hoc non subjúnxisset, necessárium fuisset eam esse matrem illius, qui in filium sibi datus erat.

℞. Felix namque es sacra Virgo María, et omni laude digníssima : * Quia ex te ortus est sol justitiæ, Christus Deus noster.

℞. Ora pro pópulo, intéveni pro clero, intercède pro devóto femineo sexu : séntiant omnes tuum juvámén, quicúmque celebrant tuam sanctam festivitátem. — Quia.

Lectio viij.

SED hoc mútuæ caritátis afféctum mihi commendáre vidétur. Sunt enim nonnúllo qui ab óm-

nibus amári volunt, sed nullos afféctu mútuo complectúntur; et volunt ut eórum labóres et dolóres alleviéntur, et cum ferántur a plúribus, ipsi nullius ónera volunt portáre. Non hoc enim Christus dócuit, aut fecit; portávit enim ónera tua, invitans te, ut et tu ónera portes illius, idest ut passiónem illius imitéris. ¶ Christus enim passus est, relínquens nobis exémpulum, ut sequámur vestigia ejus. Hoc et dócuit, cum matrem discipulo, et matri discipulum mútuo commendávit; nimirum nolens ut caritas spirituális ex una parte frígida remaneret; sed ut simul dormiéntes, idest in vera et pura caritáte simul quiescéntes, mútuo calefiánt, idest alter ab áltero ad caritátis exercítia mútuo accendántur.

℞. Beátam me dicent omnes generatiónes : * Quia fecit mihi Dóminus magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. ℞. Et misericórdia ejus a progénie in progénies timéntibus eum. — Quia. Glória Patri. Quia.

Lectio ix. de Homilia Domínice occurrentis.

AD LAUDES,
et per Horas, Añæ.

1. Benedicta es tu * Virgo María a Dómino Deo excélsio, præ ómnibus muliéribus super terram.

2. Fecit tibi magna * o María, qui potens est; et misericórdia ejus a progénie in progénies tíméntibus eum.

3. Tu glória Jerúsalem, * tu lætítia Israel, tu honorificéntia pópuli nostri.

4. Per te immaculáta Virgo nobis est vita pèrdita data, quæ de cœlo suscepísti prolem, et mundo genuísti Salvatórem.

5. Nostras deprecatiónes * ne despicias in necessitatibus nostris, et a periculis cunctis líbera nos, sancta Dei Génitrix.

Capitulum. Prov. viij. c

Béatus homo qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie, et observat ad postes óstii mei. Qui me invenerit, inveniet vitam, et háuriet salutem a Dómino.

Hymnus.

María, quæ mortálium Preces amánter excipis,
Rogámus ecce súpplices,
Succúrre nobis pèrpetim.

Succúrre, si nos críminum

Caténa stringit hórrida;
Cito resólve cómpedes,
Quæ corda culpis ílligant.

Succúrre, si nos sæculi
Fallax imágo péllicit;
Ne mens salutis trámitem
Oblíta cœli déserat.

Succúrre, si vel córpori
Advérsa sors impéndeat;
Fac sint quiéta témpora,
Ætérnitas dum lúceat.

Succúrre demum filiis
Instánte mortis prælio,
Ut te juvánte cónsequi
Perénne detur præmium.

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et almo Spíritu

In sempitérna sæcula.
Amen.

✠. Dignáre me laudáre
te Virgo sacráta. ✠. Da
mihi virtútem contra hostes tuos.

Ad Benedictus, Aña. O beáta Virgo María, tu grátia mater, tu spes mundi: succúrre filiis tuis clamántibus ad te, alleluía.

Oratio.

Omnípotens et miséricors Deus, qui dedísti nobis beatíssimæ Genitricis tuæ Imáginem de Perpétuo Succúrsu speciáli título venerári: con-

cède propítius, ita nos inter omnes viæ et vitæ hujus varietátes continúa ejúsdem Immaculátæ sempérque Virginis Mariæ protectióne muníri, ut ætérnæ tuæ redemptiόνis præmia cónsequi mereámur. Qui vivis.

Commem. Dominicæ.

Ad Primam in ✠. brevi,
✠. Qui natus es de María Virgine.

AD TERTIAM.

Capit. ut ad Laudes.

✠. br. Spécie tua, * Et pulchritúdine tua. Spécie. ✠. Inténde, prospere procéde, et regna. Et pulchritúdine. Glória Patri. Spécie tua.

✠. Adjuvábít eam Deus vultu suo. ✠. Deus in médio ejus, non commovébitur.

AD SEXTAM.

Capitulum. Eccli. xxiv. c

EGO Mater pulchræ dilectiόνis et tímoris, et agnitiόνis, et sanctæ spei. In me grátia omnis viæ et veritátis, in me omnis spes vitæ et virtútis.

✠. br. Adjuvábít eam, * Deus vultu suo. Adjuvábít. ✠. Deus in médio ejus, non commovébitur. Deus. Glória. Adjuvábít.

✠. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ✠. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

AD NONAM.

Capitulum. Prov. viij. d

EGO diligéntes me diligunt ad me, invénient me. Mecum sunt divitiæ et glória, opes supérbæ et justítia: ut ditem diligéntes me, et thesáuroseórum répleam.

✠. br. Elégit eam Deus, * Et præelégit eam. Elégit. ✠. In tabernáculo suo habitáre facit eam. Et præelégit. Glória. Elégit. ✠. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ✠. Proptérea benedixit te Deus in ætérnum.

IN II. VESPERIS.

Añæ et Capitulum ut in Laudibus. [346]

✠. Facta es nobis Dómina in refúgium. ✠. Adjútrix in opportunitátibus, in tribulatióne.

Ad Magnif. Aña. Ad te confúgimus o María, vita, dulcédo et spes nostra: succúrre cadénti, súrgere qui curat, pópulo; tu quæ genuísti, natúra miránte, tuum sanctum Genitórem, alleluía.

DOMINICA I. NON IMPED.
POST OCTAV. SS. APOST.
PETRI ET PAULI.

Commemoratio omnium SS. S. Romanæ Ecclesiæ Summorum Pontificum.

Duplex.

IN I. VESPERIS.

Añæ, Capit. et Hymnus
ut in Laudibus. [352]

Psalmi ut in j. Vesp. de
Communi Apostol. [2]

✠. Exáltent eos in ecclé-
sia plebis. ✠. Et in cáthe-
dra seniórum laudent eos.

Ad Magnif. Aña. Sacer-
dótes Dei benedicite Dó-
minum, servi Dómini
hymnum dícite Deo, alle-
lúia.

Oratio.

DEus, qui pópulis tuis
indulgéntia cónsulis,
et amóre domináris : da
spíritum sapiéntiæ suf-
fragántibus méritis Anti-
stitum Ecclésiæ tuæ, qui-
bus dedísti régimen disci-
plínæ ; ut de proféctu
sanctárum óvium, fiant
gáudia ætérna pastórum.
Per Dóminum.

Et fit Commem. Domi-
nicæ occurrentis.

AD MATUTINUM.

Invitat. Christum Prín-
cipem pastórum : * Veníte
adorémus. Ps. Veníte. 2.

Hymnus.

Térna Christi mú-
nera,
Et glóriam Pontificum,
Laudes canéntes débitas,
Lætis canámus méntibus.
Ecclesiárum Príncipes,
Belli triumpháles Duces,
Cœléstis aulæ mílites,
Et vera mundi lúmina.
Devóta sanctórum fides,
Invicta spes credéntium,
Perfécata Christi caritas
Mundi triúmphant prínci-
pem.

In his Patérna glória,
In his volúntas Spíritus,
Exsúltat in his Fílius,
Cœlum replétur gáudio.
Te nunc Redémptor, quæ-
sumus,

Ut ipsórum consórtio
Jungas precántes sérvu-
los,
In sempitérna sæcula.

Amen.

Añæ, Psalmi et ✠. No-
cturnorum de Communi
Apostolorum. [5]

De libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. xlv.

Audémus viros glo-
riósos, et paréntes
nostros in genera-
tíone sua. Multam glóriam
fecit Dóminus magnifi-
céntia sua a sæculo. Do-
minántes in potestátibus
suis, hómines magni vir-

túte, et prudéntia sua
præditi, nuntiántes in
Prophétis dignitátem
Prophetárum, et imperán-
tes in præsentí pópulo, et
virtúte prudéntiæ pópulis
sanctíssima verba. In pe-
ritia sua requiréntes mo-
dos músicos, et narrántes
cármina scripturárum.

✠. Ecce ego mitto vos
sicut oves in médio lupó-
rum, dicit Dóminus :
* Estóte ergo prudéntes
sicut serpéntes, et simpli-
cessicut colúmbæ. ✠. Dum
lucem habétis, créдите in
lucem, ut fílii lucis sitis.
— Estóte.

Lectio ij.

Homines dívites in vir-
túte, pulchritúdinis
stúdiu habéntes : pacifi-
cántes in dómibus suis.
Omnes isti in generatióni-
bus gentis suæ glóriam
adépti sunt, et in diébus
suis habéntur in láudibus.
Qui de illis nati sunt, reli-
querunt nomen narrándi
laudes eórum : et sunt
quorum non est memória :
periérunt quasi qui non
fúerint : et nati sunt, quasi
non nati, et fílii ipsórum
cum ipsis.

✠. Tóllite jugum meum
super vos, dicit Dóminus,
et discite a me, quia mitis

sum, et húmilis corde :
* Jugum enim meum suá-
ve est, et onus meum leve.
✠. Et inveniétis réquiem
animábus vestris. — Ju-
gum enim.

Lectio iij.

SED illi viri misericór-
diæ sunt, quorum
pietátes non defuerunt :
cum semíne eórum pér-
manent bona, heréditas
sancta nepótes eórum, et
in testaméntis stetit se-
men eórum : et fílii eórum
propter illos usque in
æternu manent : semen
eórum et glória eórum
non derelinquétur. Córpo-
ra ipsórum in pace sepúl-
ta sunt, et nomen eórum
vivit in generatiónem
et generatiónem. Sapién-
tiam ipsórum narrent pó-
puli, et laudem eórum
núntiet Ecclésia.

✠. Dum stetéritis. [10]

In II. Nocturno.

Sermo sancti Bernárdi
Abbátis

In Festo S. Malachiae Episc.

Lectio íb.

Congratulémur, fra-
tres, congratulémur,
ut dignum
est, Pontificibus nostris :
quia et pium est defún-
ctos plángere, et pium
magis congaudére vivén-